

Meditatio de valetudine humana ad obtinendum doctoris medicinae titulum et privilegia procerum nutu atque decreto in alma Rauracorum Academia die X octobris MDCLXXXI eruditorum examini proposita / a Joh. Conrado Peyero.

Contributors

Peyer, Johann Konrad, 1653-1712.
Bertschii, Jacobi

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, 1681.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sysrjp9w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MEDITATIO
DE
VALETUDINE
HUMANA
AD
OBTINENDUM DOCTORIS MEDICINÆ
TITULUM ET PRIVILEGIA
PRO CERUM NUTU ATQUE
DECRETO
IN ALMA RAURACORUM
ACADEMIA
DIE X OCTOBRIS M DC LXXXI
ERUDITORUM EXAMINI
PROPOSITA

A
OH. CONRADO PEYERO
S. R. I. ACADEMIÆ NATURÆ
CURIOSORUM SOCIO
COGNOMINATO PYTHAGORAS



BASILEÆ TYPIS JACOBI BERTSCHII
M DC LXXXI.

NOBILISSIMIS VIRIS
JOHANNI CONRADO PEYERO
MADIANÆ VALLIS INALPINÆ
XII PAGICÆ
EX-PRÆFECTO PROVINCIALI

JOHANNI CONRADO ZIEGLERO
COHORTIUM EX VETERANIS
PUBLICARUM UNIUS
CENTURIONI

AMPLIORIS CONSILII PATRII
SENATORIBUS MERITISSIMIS
PARENTI ET C.B.DEO SOCERO
AMORIS HONORIS ET OBSEQUIII
OMNIGENO CULTU
RELIGIOSE SIBI DEMERENDIS
MEDITATIONE ISTA AUGURALI
SECUNDA QUÆQUE AUGURARI
SEQUE ET STUDIA SUA PIGNORARI
VOLUIT UTI DEBUIT

AUTOR

BASILEÆ X OCTOBRIS
M DC LXXI



JOHANNIS CONRADI PEYERI MEDITATIO

de

Valetudine humana.



Uod medici est fortunante Deo
agere decrevimus, & curare
pro virili parte mortalium va-
letudinem: quandoquidem hoc
unum doceat & jubeat me-
dicina artium nobilissima, cui
studia & facultates nostras con-
secravimus. || Per valetudi-
nem autem intelligimus corpo-

ris animique eam constitutionem qua homo dum vi-
vit utitur, sanitatem puta & morbos: nam hoc sensu
vox priscis quoque Latinis usurpata legitur, sed ple-
rumque adhibito discrimine, ita ut sanitatem qui-
dem indicaturi bonæ, prosperæ, secundæ, epitheton
adjicerent; ægritudinem vero expressuri malæ, fini-
stræ, adversæ, cognomenta. || Caterum ad intelli-
gendam valetudinis naturam totius hominis notitia
requiritur, compositi è substantiis duabus plane dif-
ferentibus, anima sive mente immateriali & corpore

extenso ac divisibili. Animæ per philosophiam certiores nos facit sensus & consulta ratio, tum si meditatio accesserit conscientia. Corporis vero structuram pandit anatomia, aucta hætenus utiliter & præclaris inventis plurimis ornata, at nondum perfectionis summæ particeps. Imo quia opifices nostri haut sumus, & sensus externi ad conservandam vitam præcipue faciunt, fieri vix poterit adhibita quacunque diligentia ut fabricæ tam stupendæ miraculum latensque configuratio penissimè cognoscatur.

4. || Potuisset equidem homo perpetua incolumitate frui, quippe qui ad felicitatis possessionem creatus & ad conservandum sese in ea requisitis omnibus à Deo instructus fuisse intelligitur: at ipse turbato rerum ordine animum à fruitione summi boni petulanter abstractum corpori mancipavit, atque adeo mutationibus palam ingruentibus & ægrimonias innumeras & omnium teterrimum mortem sibi posterisque accersivit. Nam præclare Augustinus: *sub iusto, inquit, Deo quisquam nisi mereatur miser esse non potest.*

5. || Itaque primis tantum parentibus ante labsum integerrima valetudo affulsit: corpori namque eorum optime conformato temperatoque domina præfuit anima, pendens tunc temporis à nutu & consiliis veritatis aternæ, fallere nesciæ. Quamobrem & vehementiores objectorum impetus corpori damnum illaturi animæ imperio protinus cohibiti sunt, ne valetudo secunda labasceret, & sensus fidelissime præstiterunt omnia ad conservandam vitam necessaria. Quo in statu homines

6. medicina nulla indiguere nullisque medicis. || At post illa felicitatis momenta valetudo mirum quantum detrimenti cepit, ut nec hodie perfecte valentem

tem invenias quemquam, sanos paucos, ægrotantes plurimos, omnes morti ac mutationi obnoxios. Mens etenim à Deo sejuncta & corpori subdita posthabito veritatis oraculo perversos affectus suos consulit, & cupiditatibus auscultat, ad sanitatis exitium: neque sensus officio tam fideliter amplius funguntur, quin aliquando vitam hallucinatione perdant, patientem animi vitio injuriis omnibus. Adeoque in

hac calamitate maxime opus est medicina, nec fortunata civitas aut gens quæ caret medicis, quibus va-

7. letudinem committat. || Sanitate autem hominem nunc frui dicimus quando & animus illi utcunque tranquillus est, & corpus legitime dispositum ac temperatum, ita ut re hortante facile ac concinniter edere possit omnes motus & actiones, cum ad sui conservationem tum speciei propagationem divinitus institutas. Contra ægrotare, simul ac animi inquietudine agitato, corpore vitioso aut male temperato, requisitas operationes exercere nequit, vel certe

8. te perficit cum difficultate & molestia. || Quemadmodum igitur mentis tranquillitatem corporisque integritatem conservantia omnia sanitati fomento sunt, ita morborum causæ fiunt quæcunque animum perturbant & corporis machinam temperiemque bonam corrumpunt. Nam propter animæ jugum & penitissimam cum corpore consuetudinem fieri non potest quin menti adversa & ingrata corpus quoque pervertant, idque tanto magis & gravius quanto animum afficiunt vehementius & diutius. Viceversa corpus etiam animæ mala tradit sua sæpe-

9. que mens à corporis infirmitate ægrescit. || Quinimo adversæ corporis valetudini ferme adjunctus est dolor, peccati pœna. Postquam enim anima cor-

pori se submitit ; quod ipsa regere debuisset , quid-
quid nervosas partes vehementer percellit ac lanci-
nat , sic ut inde machina vel tota vel ex parte de-
strui periclitetur , id non ægre ferre non potest in-
hærens anima , quæ sola doloris capax existit , ob ad-
missi peccati conscientiam. Caput hercle , pectus ,
venter , brachia , pedes , & alia membra , dolere per-
peram aut improprie vulgo dicuntur. Quo vero in-
tensior dolor , hoc corporis affectio major est & pe-
riculosior. Sed & quanto quis levior de causa ma-
gis indolescit tanto animus ejus corpori & corporeis
rebus omnibus addictior hære subsumitur : cordati
enim viri atque philosophi , quibus cœlum & virtus
curæ , non perinde dolitant ac terræ mancipia , quin
natum è gravi & inevitabili incommodo dolorem
10. placide perferunt tandemque superant. || De cæte-
ro mens humana per naturam suam medium quasi
tenet inter creatorem & res corporeas : nihil enim
illa sublimius nisi unus Deus , nihil infra eam est præ-
terquam corpora ; & quanquam unita sit corpori ,
perturbari tamen aut affligi nequiret , si compos foret
integritatis quam divinitus accepit. Quamobrem
commotionum animi , quibus secunda valetudo sæ-
pe concutitur , princeps causa est rationis à summo
ente abalienatio & conspiratio penitissima cum cor-
pore , quam imprimis fovēt libidines & voluptates
obscœnæ , sic ut liberior harum fruitio sanitati vim
inferat maximam & labem conscientiae. Tranquil-
litas autem fundamentum est conciliatio mentis
cum Deo , fomes studium virtutis & sapientiae.
11. || Jam porro cum in corpore humano duplicis ge-
neris materia observetur , solida nimirum seu com-
pacta & fluida sive soluta , affirmamus aptam disposi-
tionem

tionem in illa secundum naturæ ordinem se habente consistere, in hac temperiem. Temperamentum igitur quia situm est in fluido facile immutari posse censetur, at solidarum partium dispositio citra sanitatis discrimen alterationem nullam sustinet. Enimvero ubi semel configuratio & unitas membrorum perit machina protinus jacturam faciens ægrotat.

12. || Morbi isti congrue vocantur organici; cæteros, qui in fluido nidulantur, intemperiei morbos apposite dixeris. Ast cave credas intemperiem dari sine materia aut qualitates sine subjecto. Illud autem certum est ex intemperie sæpius pullulare morbos organicos, dum fluidum partibus solidis labem affricat; & vicissim ex organicis morbis nasci intemperies, quando solidæ partes fluidi motum atque perfectionem obturbant. || Deinde constat etiam intemperiei morbos tot constituendos esse quot numerantur fluidorum species & differentiæ. Datur ergo intemperies spirituum animalium, chyli, sanguinis, lymphæ, salivæ, bilis, seminis, lactis, & si quæ sunt alia id genus fluida: cerebri vero, ventriculi, cordis, hepatis, lienis, cæterorumque membrorum & viscerum intemperies nulla datur, si absit præjudicatio. || Porro fluidorum temperies pendet à particularum ea componentium proportionata magnitudine, & motu idoneo ad sui & corporis universi conservationem. Intemperies vero ab earundem particularum incongrua magnitudine, inepta configuratione, & perverso motu oritur, tendente ad sui & corporis universi destructionem. || Est autem fluidorum motus duplex; intestinus sive insitus unus, proveniens à materia subtili singulas particulas sic agitante ut fluidæ permaneant, adventitius alter, qui
- univer-

universæ fluidorum copię imprimatur : idque vel à solidis machinæ partibus, vel ab anima, vel ab ob-
16. jectis extraneis. || Similiter etiam solidæ partes bene dispositæ dicuntur quando & integræ sunt ita ut nihil deficiat aut redundet, & rite conformatæ, & poris atque meatibus necessariis perviæ, & probe unitæ, & conveniente motu præditæ; qui potissimum duplex observatur, naturalis sive jugis & voluntarius seu alternus. Uterque tamen instrumentis cietur congeneribus, nempe musculis: quorum proinde in numerum omnino referendum diaphragma, cor, nec non gulæ ventriculi & intestinorum aliarumque partium nonnullarum fibræ. E contrario morbi organici existunt ubi manca est partium integritas, vel prava & monstrosa conformatio, vel impedita pororum ac meatuum libertas, vel unitatis solutio, vel
17. motus anomalia, quæ vocatur convulsio. || Cæterum motu solidam fluidamque corporis substantiam absumente, ne individui salus periclitaretur, alimentis jactura quotidie sarcienda, neve species non multiplicaretur conjugium insuper adhibendum fuit. Quem in finem Deus & appetitum hominibus insevit & sensus addidit, quorum impulsu congrua sectarentur noxiaque fugerent. Congruunt autem quæ appetitui & sensibus placent, nocent quæ displicent. Quare in iis quæ ad sanitatem & vitæ conservationem atque speciei propagationem pertinent non confundenda ratio, sed utique sensibus obtemperandum est, officio quippe suo strenue fungentibus ita ut corrup-
18. tio hominis nullibi minor appareat. || Quæ cum ita sint corporeis creaturis omnibus per naturam devinctum hæere corpus hominis quis inficiabitur, & præcipue iis quæ ad ipsius sustentationem faciunt? Sed
creatu-

creaturæ istæ uti mutationibus & ipsæ sunt obnoxia
ita sanitatem quoque varie afficere ac alterare pote-
runt, imprimis si qua pristina earundem substantia
immutata & corrupta est, vel aliunde accesserunt ad
illam venenatæ particulæ quibus bona valetudo de-
struitur. Hac sane ratione infectus aer coelique in-
temperies coinquinat sanguinem & ex elemento spi-
rabili genitos spiritus animales, perinde atque adul-
teratus aut natura sua impurus cibus & potus chylum
19. reliquosque humores vitiat. || Aer autem cætera-
que alimenta vitam eatenus sustentant, quatenus
composita sunt ex particulis ad fovendam fluidorum
temperiem & conservandam solidarum partium con-
figurationem in corpore humano accommodatis.
Quapropter cum hominum temperamenta varient,
omnium palato non æque arrident eadem ciborum
potuumque genera: quin sæpe contingit ut quæ uni
profunt alteri noceant, nec virili ætati amplius sa-
pient quæ placuerunt infantia. Et multi sane me-
lius valerent si in capiendo cibo & potu sensuum
propriorum dictamen sequerentur potius quam ex-
emplum & consuetudinem aliorum, vitarentque im-
primis multiplicem illam eduliorum exquisite præ-
paratorum varietatem & haustus immanes potuum in-
ebriantium. Quippe gulæ intemperantiam artes istæ
magis produnt & defectionis nos arguunt, neuti-
quam ingenium sedulitatemve commendant, quid-
up. quid oblatrent alij. || Deinde ad sanitatis conserva-
tionem vitæque tutelam prodest etiam homini indi-
tus à Deo motus & quies, somnus & vigiliæ, juxta
constantem dierum ac noctium vicissitudinem.
Quamvis autem omnes sensu polleamus tanta tamen
agilitate aut circumspectione hodie nemo reperitur

quin aliquando ictu, casu, saltu aliisque injuriis externis oblatus damnum accipiat aut à vehementi cursu, labore & exercitatione corporis lassescens ægroret. Nimia enim commotio fluidam substantiam enormiter dissipat & exhaurit, partiumque solidarum robur fractis fibris enervat. Ex adverso torpescunt otio intempestivo & flaccescunt marcescuntque omnia. Somnus denique & ipse in vigilias pertinares aut soporem degenerans morborum autor existit. Atque adeo quæ ad tuendam bonam valetudinem divino munere hominibus concessa fuerunt, si perperam nec sensibus congruenter adhibentur, in morbum præcipitant. || Quin detrimentum etiam prospera valetudo sæpe capit in utero, antequam homo nascitur. Propter arctissimam enim matris cum embryone copulam & necessitudinem, licet animæ separatae sint, foetus tamen cum & fluida substantia materna victitet & præterea sentiat ea omnia quibus matris imaginatio ac sensus afficiuntur, fieri omnino potest ut in tenello corpore, dum prima vitæ stamina ducuntur, intemperiei morbi organicique pullulent, & in posteros quoque deriventur parentes torquentia mala. || Sunt denique vitæ genera pro educationis, studiorum, professionum & opificiorum diversitate varia ac res aliæ immuneræ, quæ valetudinem humanam confirmare aut immutare valent, de quibus animus non est in meditatione hac sigillatim & scrupulose differere, quippe eo duntaxat collimante ut sanitatis morborumque natura & ortus in primis fontibus detegatur; quandoquidem & artis & medici rationalis intersit genuinas & veras, hoc est claras atque distinctas, valetudinis humanæ causas & fundamenta nosse, nec aliter agere aut judicare velle quam naturæ

naturæ ordo & rerum evidentia permittit. Ne ergo effugium quærere videamur principiis istis simplicibus ac generalibus nixi singulorum morborum ægritudinumve rationes reddere petentibus neutiquam detrectamus, quas scriptis nunc mandare instituti

23. non est. || Jam colophonem addamus. Quo majorem anatomiae peritiam medicus sibi comparavit eo valetudinem hominum percurabit melius & concin-
nius, si cætera quoque in promptu habet ad facien-
dam medicinam necessaria, qualia sunt imprimis
chirurgia & pharmacia sive Chemia, telorum quibus
adversa valetudo abigitur bina promptuaria. Tenen-
dum vero & hoc, medicamenta non operari nisi ra-
tione configurationis particularum suarum & motus,
quem illis solutis materia subtilis imprimit. Imo
pauillum quoque veneni hominem ideo brevi tem-
pore interimit, quia particulæ ejus acuminatæ & per-
nici motu præditæ maximam vim obtinent ocys
dissolvendi fluidorum temperiem & vastandi univer-
24. sam machinam. || Manifestum igitur est valetudi-
nis humanæ curatorem eum demum fore optimum
qui experientia sola non fretus ipse præterea particu-
larum configurationes cum in alimentis tum medi-
camentis ingenio subtili dignoscit atque rimatur, ut
sciat num adhibita congruum an incongruum mo-
tum sint in corpore paritura. Tantæ molis est scite
curare humanam valetudinem. Vim autem sibi in-
ferre creduntur, quotquot mulierculis & medicastris
valetudinem committentes intereunt; conscientiam
lædere, qui impostoribus agyrtis & circumforaneis
auscultant; honestatem floccifacere, qui missis me-
dicis carnificem consulunt; denique pietatem eju-
rasse, qui moto Acheronte diabolum aut maleferia-
tos

tos homines implorant. Quam vero rationem Deo reddent qui nulla scientia imbuti rem sacram divinamque profanant, vel medici titulo superbientes licet valetudinem tamen quam curandam aggrediuntur ignorant, & negotium tam arduum, quam quod est maxime, impuris manibus lucri quam salutis mortalium cupidiores tractare non erubescunt?

F I N I S.

